


Qc. 129.



COMMENTATIO
IVRIS CIVILIS
DE
OBLIGATIONE
AVCTORVM
INTVITV
EVICTIONIS IMMINENTIS.
AVCTORE
IOANNE CHRISTIANO MANN
ADVOC. REGIM. DESSAV.



HALAE MAGDEBURGICAE,
IMPENSIS ORPHANOTROPHEL MDCCCLXXVI.

KÖN. PR. FR.
UNIVERS.
ZV HALLE





PROOEMIVM.

Subdifficilis haec quaestio, plenaque dissensionis inter Iureconsultos, ad quid is, qui auctoritatis obnoxius est, re nondum euicta teneatur, quantum mihi innotuit, hactenus a nemine interpretum peculiari disputatione fuit exposita^{3).}

Permulti quidem fuere, qui in explanatione vniuersae doctrinae de euictionibus virium suarum periculum fecerint; ex quibus alii satis dixisse putarunt, si eam in vnam disputatiunculam coarctauerint, quae tamen, ut quibusdam haud male visum est, toto volumine vix potuit exhaustiri. At quotunque mihi hactenus euoluere licuit, vel plane

A 2 hoc

* Partem huius quaestionei tractarunt IOAN. SILEM in diss. de retentione pretii propter imminentem euictionem. Trai. ad Rhen. 1749. et ANDR. MYLIVS de euictione imminente occ. l. 24. C. de euict. Lips. 1693.

PROOEMIVM.

hoc thema praetermittunt, vel si id attin-
gunt, leuiter illud ac nunquam in toto suo
ambitu exponunt; tametsi id fusis amplia-
tionibus, et quibuscumque limitationibus haud
parcant. Sique praeterea in vlla iuris Ro-
mani doctrina interpretes opinionum suarum
rationes magis ad patritam scientiam, quam
ipsas leges, exegerunt et diuidicarunt; veri-
fime hoc infortunium illi de euictionibus con-
tigit. Imprimis animaduersum est, omnes
euictionis praestationem ita explanare, quasi
ea omnis ex iure naturali perueniat, ignaros,
quod ipsi antiqui Romani iureconsulti in
aliam sententiam inclinauerint. Quamuis
quidem cum *V. Ill. BREVNINGIO*, in *diss.
de praestatione euictionis iur. nat. incognita*,
vix audeamus praecipere, quamcunque obli-
gationem pro euictione iure naturali exulare;
quandoquidem quilibet venditor nominis au-
ctoritatis obnoxius maneat: tamen ea cessa-
bit in dominii aliusue iuris realis alienatione,
cum in iis non causa euictionis detur. Se-
cundum enim dominii notionem, quam ei-
dem *Viro Ill.* acceptam ferimus, illud in iure
alterum a rei occupatae et possessae occupa-
tione eiusdemque vsu excludendi consitit,
nec a possessione separari, et inde nec a ter-
tio vindicari potest. Quis non perspicit hoc
iuris naturae dominium cum illo Romano-
rum *Bonitario* (*Theophilus Φυσιον*, s. *natura-
le* appellat) coincidere? Continebatur hoc,
aeque ac illud, vsu rei et fructu, et plenissi-
ma

PROOEMIVM.

ma possessione. Minime vero ius, rem a tertio possessore vindicandi, bonitario domino dabatur. Etsi quidem in huius bonitarii dominii alienatione causa euictionis, quoad mancipi res haud cessaret, cum nimirum dominus Quiritarius vindicare hoc poterat; seruarunt tamen Romani illud iuris naturae principium, euictionem pro eo non praestari. Quocirca, qui caute agere volebant, non potuere non sibi variis modis prospicere, mancipacione scilicet, qua dominium Quiritarium acquirebatur, quaque vendoror propter insitum nexum auctor fiebat; duplae stipulatio-ne, qua auctor rem tradens se pro dupla pretii in casu euictionis obligabat. Quae omnia cum multi viri docti non viderint, vix potuit iis de erroribus cautum esse.

Quare mihi, haud plane inutile quidquam agere, nec post Homerum, ut aiunt, Iliada canere, visus sum; si eam, quam de hac re, fontibus forsan paulo curatius inuestigatis, animo imbibi sententiam, dicerem.

Proinde quoque, si forsitan hinc inde quaedam nimis audacter defensa inuenias, iuuenili haec tribuas audaciae velim, eoque magis mihi indulgebis, si ad animum tibi reuocaueris, in ea me versatum esse doctrina, quam, quo magis eius explicationi interpretes incubuerint, eo implicatiorem reddiderint, vbique saepissime doctorum auxilio destitutus, e solo iudicio arbitrioque meo haurire debuerim.

A 3

CON.

CONSPECTVS.

I. IUS ROMANVM.

1. Notio euictionis. *Cap. I. §. I.*
2. Natura et indoles negotiorum, in quibus praestatur euictio. *§. II.*
 - A. Divisio eorundem.
 - a. in negotia emtionis lege contracta. *§. III.*
 - b. in negotia lege innominati contractus inita. *§. IV.*
 - B. Differentiae horum negotiorum.
 - a. I. ratione obligationis,
 - α. secundum ius Antejustinianum. *§. V.*
 - β. secundum ius Iustinianum. *§§. VI. VII.*
 - b. II. ratione actionum. *§. VIII.*
 - c. III. ratione conditionis causa data causa non sequuta. *§. IX.*
 - d. IV. ratione praestationum ante euictionem. *§. X.*
 - α. De obligatione auctorum intuitu euictionis imminentis in negotiis emtionis lege contractis. *Cap. II.*
 - β. De obligatione auctorum intuitu euictionis imminentis in negotiis innominati contractus lege initis. *Cap. III.*

II. IUS HODIERNVM s. VSVS FORENSIS. *Appendix.*

CA-



CAPVT I.

GENERALIA QVAEDAM DE NEGOTIIS ONEROSIS.

§. I.

Notio et etymon euictionis.

Sub euictione venit nobis is actus, quo iudicis auctoritate ciuili possessori rem habere non licet. Primum igitur in euictione supponimus talem actum, quo res possessori aufertur, seu, quo ei rem diutius detinere non licet. Hinc CELSVS (*a*): „quod euinciatur, in bonis non est. „ et POMPONIVS (*b*): „du „plae stipulatio, „ ait, „committi dicitur tunc, cum „res restituta est petitori, vel damnatus est litis aesti „matione, vel possessor ab eintore conuentus absolueus „est. „ Hinc cogitur, rem indicatam haud sufficere, vt dici res queat euicta (*c*). quum ad rei restitutionem vsque possessor nil obsteret, quo minus ea pro lubitu

vtatur.

A 4

(*a*) in l. 190. D. de R. 1.

(*b*) in l. 16. §. 1. D. de euiction. conf. etiam l. 21. §. 1. eod.

(*c*) l. 51. eod. l. 4. pr. D. de act. emt. SAMVEL DE COCCII in Iure Controverso, tit. de euictionibus. quæst. 8.

vtatur. Multo minus hoc efficitur per quaestionem de rei proprietate, vel alio iure circa eam, motam (*d*). *Victus* quidem possessor est per rem iudicatam, sed ei res nondum *euicta* (*e*); qua demum restitura, illi fere omnis spes eam habendi abscissa est (*f*). Deinde requirimus possessorem ciuilem (*g*), qui rem animo dominii detinet, si alicui esse rem *euictam* dicere velis. Neque igitur naturali possessori (*h*), neque emtori, cui res nondum est tradita (*i*), ea potest *euiinci*; quamquam vtriusque permultum interesse possit, rem alteri non esse *euictam*.

Ex hisce dictis perspicuum erit, quosnam limites *euictionis* praestationi ponamus. Cum ea enim resarcitur damnum rei *euictione* alteri datum, res autem sub his circumstantiis demum *euicta* dicatur; consequitur, prius *euictionis* praestationem intelligi non posse. Tantum abest, vt hanc veritatem euertere coner, vt potius ea nixus scrutari intendam, num forsitan sint alia,

(*d*) l. 74, §. 2. D. de *euicta*.

(*e*) BRISSONIVS de verb. signif. in verbo *euincere*. n. 1.
IACOB. CVIACIVS ad Africanum in l. 24. de *euicta*.

(*f*) l. 35. eod.

(*g*) *Possessio* hic in latiori significatu sumitur, vt et quasi possessionem iuris cuiusdam, sive realis, sive personalis, complectatur.

(*h*) BVRGVNDVS in tract. de *euictionibus*. cap. 3. n. 8.

Quaedam contra eorum sententiam, qui locatorem, ignorantem se rem alienam locasse, de praestatione eius quod conductoris interest, rem ante usum finitum locatori non esse *euictam*, teneri censem, ex l. 33. D. Locat. cond. disputare animus erat: sed otium nobis fecit Vir illustr. G. L. BÖHMER (praeceptor olim noster grata mente perpetuum colendus) in disp. X. Electorum Iuris ciuilis, §. XVI. Cuius argumentis, quibus hanc opinionem debellauit, nihil addere valemus.

(*i*) l. 33. D. de *euicta*. l. 1. pr. de action. emt. vend.

alia, ad quae obnoxius auctoritati ante casum euictio-
nis teneatur. Quod ut eo melius procedat, prae cae-
teris in naturam negotiorum, quibus inest obligatio
praefandi euictionem, inquiram.

§. II.

De differentia contractuum onerosorum.

In negotiis onerosis tantum euictionem praestari,
minime vero in lucrativis, nisi etiam in his speciali pa-
eto fuerit promissum, tam notum iuris axioma est, ut
probatione vix indigeat. Hoc quidem principium
optima iuris analogia summaque aequitate innititur.
Etenim, quemadmodum in illis negotiis aequalitatem
semper inter contrahentes seruari, ac, quantum fieri
potest, neminem cum alterius damno locupletiorem
fieri, leges cauent; ita in his laudabili aequitate pro-
uiderunt, ne is, qui alteri beneficia contulerit, per ea
in damnum incurrat, atque sic liberalitatis suae poe-
nam patiatur (a). In animo mihi non est, singula re-
censere negotia, quae onerosa dicuntur, quaeque apud
alios eleganter exposita, imprimis autem apud FRANS-
KIVM (b), acutissimum iureconsultum, videre licet;
sed tantummodo quaedam generalia de indole eorum
dem monere.

Quocunque haec sint negotia, quibus res alienantur, cetera enim non sunt huius loci, commode
mihi tamen ad duas classes referri posse videntur.
Sunt enim, in quibus satis perspicue discerni possit,
quid merx, quid pretium sit, et uter contrahentium
sit emtor, uter venditor; in aliis autem, vbi nimirum

A 5

res

(a) I. 62. D. de Aedil. edit. l. 50. D. de re iudic. PAVLI
recept. sent. l. V. r. XI. §. 5.

(b) in Commentario ad Tit. de euictionibus. n. 181. seqq.

res cum re vel factō permūtatur, haec differentia non
apparet. Quis est, qui non in priori casu emtionem
venditionem perspiciat? ad cuius essentiam merx et
pretium desideratur.

In posteriori vero quendam innominatum con-
tractum latere haud ullus ambiget (*c.*). Haec levia at-
que vulgo sunt nota. Sed vbi cetera negotia, non
minus onerosa ac illa? vbi datio in folutum? vbi con-
stitutio dotis? vbi hereditatis diuisio? et quae sint ce-
tera, quae vulgo doctores larga manu adferant. Com-
posita haec esse dico, ex duobus illis simplicibus nego-
tiis, emtione et innominato contractu. Cum enim
onus illud triplex sit, pretium, res, et factum; non
possunt non haec negotia, si ad onerosa referre velis,
ex uno alteroue eorundem constare. Composita ita-
que

(*c.*) *I. i. pr. D. de rer. permūt. At in l. vlt. D. de cond.*
caus. dat. caus. non sec. Id est CELSVS, innominatum
contractum initum esse ait, *si tibi dederim pecuniam, ut*
mihi Stichum dares. Nonne igitur nobis ea lex obstat?
Minime. Grauiter quidem interpres dissentunt, in
ratione scrutanda, quare Iureconsultus hanc speciem ad
innominatum contractum retulerit. ACCURSIUS hic
pecuniam non pro quantitate, sed pro corpore sumi, vt
in *l. 51. de legat. 1.* putat. GERH. NOODTIVS autem
in *Probabil. Iur. Ciu. lib. 4. Cap. 4.* hanc legem corruptam
esse autumat, in eaque scriptum fuisse, *dedi tibi pe.* (*s.*
peg. h. e. peregrinam pecuniam etc. sed syllabam *pe* in
curia librariorum fuisse omissem. Plures alias conjectu-
ras vidēsis apud CORN. VAN BYNCKERSHOECK in
observationibus suis Iuris Rom. Ego quidem Accursio
assentior, cum eius opinio legi vim nullam adferat, et
cit. l. 51. sufficiatur. Obiectum quidem NOODTIVS *l. 7.*
§. 1. de contrah. emt. Sed perpicuum est, in hac lege,
pretium per relationem ad nummos, quos emtor habeat
in arca, determinari; minime vero nummorum corpora,
quae in arca sint clausa, sine respectu ad numerum ea-
rum, promitti, vt in cit. *l. 51.* et *hac nostra.*

que negotia vocare luet. Sed audias quo rem deducam,

§. III.

De emtione, tam simplici, quam composita, s. de negotiis emtionis lege contractis.

Datur in iure nostro contractus ille consensualis, *emtio venditio*, sed plura dantur negotia, quae aequae ac ille pretio et merce ineuntur, quae vero propter specialem suum scopum stant proprio nomine. De dotis datione, si dos venditionis causa aestimata sit, **VLPIANVS** (a) ait, veram fieri venditionem. **Marius** fit dominus dotis, et dissoluto matrimonio pro ea pretium soluit. Datio in solutum, si res pro certo debito pecuniarior detur, vicem venditionis obtinere dicitur (b). Itidem diuisionem hereditatis, aliarumue rerum, vicem venditionis obtinere leges innuunt (c), quod me quidem iudice **ILLUSTR. HELFELDIVS** (d) de casu recte intelligit, vbi alter coheres totam hereditatem venditionis gratia aestimatam retinet, suisque coheredibus portiones in pecunia soluit. Compositae haec emtiones vna cum simplici, commode vocari *negotia lege emtionis contracta*, mihi videntur.

§. IV.

De innominato contractu, tam simplici, quam composto, s. de negotiis lege contractus innomini- nati contractis.

Contractus innominati, qui sicut pertinent, sunt modo ut des, vbi praecipua permutatio, et alii in quibus res

(a) I. 10. §. 4. *D. de iur. dot.* CVIACIVS lib. 17. Obseru. 1.

(b) I. 4. *C. de euiet.* CVIACIVS lib. 19. Obs. 38.

(c) I. 1. *C. Commun.* utriusque iudic.

(d) in *Iurisprud. for. sec. ord. Pand. parte I.* §. 727.

res cum facto permutatur, qui, licet pro nostro scopo, quoad euictionem, non differant, veniunt tamen in iure nostro diuerso nomine, nimurum do ut facias et facio ut des. Ex his tanquam simplicibus plura alia negotia sunt composita. Huc v.g. referto dationem in solurum, si pro re promissa res alia datur (a); diuisionem hereditatis, „per quam „ V L PIANVS ait „qua „si certa lege permutationem fieri, scilicet si omnes „res diuisae sint „ (b); donationem ob causam futuram (c); immo et transactionem, in qua semper alter pro re data a lite desistit (d). Nec minus denique sub dotis constitutione innominatum contractum latere censeo, si nempe dos praecedente pacto promissa sit (e).

Iam

(a) l. 46. *D. de solut.* l. 8. *C. de sent. et intercut.* CIVIACIVS lib. 19. obs. 9. Idem fundamentum esse videtur, cur in legato et donatione generis euictio praestetur oporteat. l. 58. *D. de exiēt.* l. 29. §. 3. *de legat.* 3.

(b) in l. 20. §. 3. *D. famil. erexit.* conf. l. 45. *D.* et l. 21. *C. de paētis.*

(c) l. 9. *C. de donation.*

(d) l. 33. *C. de transact.* CONNANI Commentar. IUR. lib. 5. cap. 6. Quamvis in transactione is, qui pro re accepta a lite desistit, euictionem rei controversae haud debeat praestare, tamen intuitu iuris renunciati auctoritati obnoxius fit, sic, ut ne tertius ex iure eodem antea sibi cesso, transigentem et qui pro renunciatione suam rem dederit, conueniat. WAECHTLERVS de euiction. in opusculis p. 8.

(e) l. 47. *D. Mandat.* l. 19. *D. de Obl. et abſt.* l. 1. *C. de iur. dot.* l. 21. §. 1. *de donat. inter vir. et uxor.* Certe, antequam pactum dotale ex constitutione THEODOS. et VALENTIN. in l. 6. *C. de dotis promiss.* ciuilem obligationem accipiebat, nec dos solemniter erat promissa, quod tamen plerunque fiebat, in illo contractu fundatum eam petendi, erat querendum. Idem CONNANVS lib. V. commentar. l. C. cap. 3. n. 1. pacto dotali solam vim excludendi poenitendi licentiam tribuens, de modernis moribus tuerur.

Iam perspicuum erit, quo pacto haec duo plane diuersa negotia, sub lege emtionis et innominati contractus inita, dispesci velimus; non, quod fundamentum obligandi, imprimis quoad posteriorum composita, quae plerumque per se ciuilem obligationem pariant, inde petamus: sed quod omnia onerosa, hucque pertinencia negotia alterutri eorum similia sint, praecipue vero ratione obligationum, quae inde oriuntur, amice cum alterutro conspirent. Hoc discrimen ut eo luculentius apparet, paucis tantum differentias quasdam inter haec duo negotia exponamus.

§. V.

*I. De obligatione.**Ius Anteiusfinianum.*

Cum ea, quae de auctorum obligatione in utroque hoc negotio disputare animum induximus, vix fas intelligi posse animaduertimus, nisi quae iure Anteiusfinianeo de hac obtinuerint, fuerint praemonita; pauca ex hoc iure praemittemus.

Notissima, eaque implicatissima huius juris diuisio est rerum, in *res mancipi* et *nec mancipi*, eaque nixa dominii diuisio in *dominium Quiritarium* et *bonitarium*. Sed de iis plura differere, a scopo nostro maxime alienum est, imprimis cum nostram hac de re sententiam in proemio diximus, cui tantum hoc adiicere lubet, quod omnes res nec mancipi in dominio bonitario fuerint. Hoc ex iis in promptu est, quae supra de dominio naturali, coincidenteque cum eo Romanorum bonitario, disputauimus. Quae si mihi concedas, res ulteriore disputatione haud egebit, nec ab ea sententia, per haec, quae contra eam protulit IOAN.

HARTW. REVTERVS (a), nos dimouere sinemus. Iti-

dem

(a) in eleganti tractatu de dominio Quiritario et bonitario.

Halae 1755.

dem illud ex hoc iure notissimum est, non *traditione* sed *mancipatione* dominium Quiritarium adquisitum fuisse. Ex quo efficitur, ut si res mancipi, modo ci- uili, qualis est mancipatio, haud ab alienata fuerit, *proprietas* eius apud auctorem remanserit, solus vero eiusdem *usus*, seu bonitariū dominium, in emtorem transierit. Ad hoc facit **HORATII** (b) illud:

Si proprium est, quod libra mercatus et aere est.

Quo etiam **CICERO** (c) spectat, ubi, *Sum enim, ait, xp̄t̄s p̄v tuus, xp̄t̄s d̄ Attici nostri; ergo fructus est tuus, mancipium illius.* Sed quid multa? traditio- ne solum bonitariū dominium translatum fuisse, lo- cuples testis est **VLPIANVS** (d), in cuius fragmentis ita legitur: *Qui tantum in bonis, non etiam ex iure Quiritum, seruum habet, manumittendo Latinum fa- cit.* In bonis tantum alicuius seruus est, velut hoc modo; si ciuis Romanus a ciue Romano seruum emerit, isque traditus ei sit, neque iam mancipatus ei, ne- que in iure cessus, neque ab ipso anno possessus sit: nam quandiu horum quid fiat, is seruus in bonis emtoris quidem est, ex iure Quiritum autem venditoris est. In- de sit, quod idem **VLPIANVS** (e) testatur: *si seruus alterius in bonis, alterius ex iure Quiritum sit, ex omnibus causis acquiret ei, cuius in bonis est.*

Haec ideo praemittenda putaui, vt facilius pos- sim explanare, quaenam vendor, quaeque alius au- tor secundum illud ius Anteiusustinianum praestare debuerit.

Primit

(b) in *Lib. II. Epistolar. epist. 2. v. 158.*

(c) *Epist. ad famil. lib. VII. ep. 29.*

(d) in *fragment. tit. I. §. XVI.*

(e) in *fragm. tit. XIX. §. 20. Adde quoque REUTERVM c. l.*

Primit nempe reipublicae Romanae temporibus, cuilibet negotio, quo dominium rei mancipi in alium abalienabatur, *mancipatio*, propria species alienationis rerum mancipi (*f*), interuenire debebat. Per eam non dominium Quiritarium modo transferebatur, si auctor ipse rei dominus Quiritarius erat; sed *nexus* quoque, qui mancipationi inerat, si acciderat, ut res aliena fuerit mancipata, mancipantem duplotenus auctoritatis obnoxium reddebat. Huius rei testimonium **IVLIO PAVLO** et **CICERONI** denunciemus. Ille in *receptis sententiis* (*g*), *res emta*, ait, *mancipatione et traditione perfecta*, si euincatur, *auctoritatis venditor duplo tenus* (*h*. est, ad vsque duplum pretii, non ultra illud, incerta erat obligatio, non certa, vt in duplae stipulatione) *obligatur*. Apud hunc autem in *oratione pro Murena* (*b*) sequentia leguntur: *in iis rebus repetendis, quae mancipi sunt, is iudicis periculum praestare debet, qui se nexus obligavit*. Quamuis enim hoc casu, si contigerit, rem alienam esse mancipio datam, mancipientem effectu suo destituatur, quandoquidem res aliena dari mancipio nequeat (*i*): tamen non idem de obligatione nexus dici potest, quippe quam etiam aliis personalibus obligationibus accessisse, **CICERO** (*k*) auctor est. Quae cum ita sint, scire prouicie est, non eadem in nec mancipi rebus obtainere potuisse, nec mancipationem, si ea forsan adhibita fuerit, ea efficere, quae in mancipi rebus. Cum eae enim ita sint comparatae, ut in eas legitimum dominium cadere nequeat, quod mancipii primarius effetus est; nec potest non eiusdem secundarius, qui est in

(*f*) **VLFIANVS** in *fragm. tit. XIX.* §. 3.

(*g*) *lib. II. tit. XVII. §. 3.*

(*h*) *cap. 2.*

(*i*) Ut bene hoc animaduerit **CVIACIVS** ad *Africanum tract. VIII.* in *I. 30. l. 1. de action, erst.*

(*k*) *de Legg. lib. II. cap. 20 et 21.*

in obligatione auctoritatis, cessare. *Finge, mancipio aliquem, CICERO ait, dedisse id, quod mancipio dari non potest.* Num idcirco id eius factum est, qui accepit? aut num is, qui mancipio dedit, ob eam rem se villa re obligauit? (l) Has itaque res emtor suo periculo emebat, nulla in iis praestabatur euictio, nisi aliud fuerit pactum.

Ab hoc iure, vi cuius in qualibet *rei mancipi* alienatione, ea erat mancipio danda, Romani tractu temporis in venditione propter eius frequentiam recessisse videntur. Vsu et obseruantia in ea inualuit, qui rem mancipi vendiderit, non necesse habere, eam emtoris propriam facere, sed sufficere, si eum faciat bonitarium dominum (m), eique duplae stipulatione caueat, quae loco illius nexus obligationis fuisse videtur. Parui nimirum Romani Quiritarium dominium habentes, solo rei vsu et fructu contenti, facile illud auctori condonabant. Non adeo honorifice de dominio Quiritario loquitur CVRIVS apud CICERONEM (n), si illud inter senes coemtionales, seu seruos aetate praeuestos, ideoque nullius pretii, refert.

Fuit igitur in venditione auctor ad solam rei traditionem obstrictus. Innuit hoc PAVLVS (o), si venditorem, neque tradentem, neque mancipantem, alternatiue condemnet, *vt aut tradat, aut mancipet.*

Access-

(l) CICERO in topic. cap. 10.

(m) Apparet hoc ex l. 25. §. 1. D. de contr. emt. desumpta ex VLFIANI lib. XI^V. ad sabinum: *Qui vendidit, necesse non habet, fundum emtoris facere: ut cogitur, qui fundum stipulanti spopondit.* Videbis, quae de hac lege ad sequentem §. dicemus.

(n) in epistolis ad familiares lib. VII. epist. 29. adde etiam seq. epist. 30.

(o) in Lib. I. tit. XIII. §. 4.

Accessisse tamen rei traditioni duplae stipulationem, VARRO (*p*) nobis auctor est, qui ita de hac re praecipit: *aut si mancipio non datur, dupla promitti solet, aut si ita pacti, simpla.* Haec sunt, quae in mancipi rerum alienatione, si venditione, aut alio illi simili negotio fiebat, ante Iustinianum obtinuere.

In ceteris negotiis, quae lege innominati contractus iniri putamus, seruata est illa vetus *mancipio dationis* necessitas. In his igitur (*q*) auctor, imo et in aliis, vbi id stipulando spolpoderat (*r*), si res mancipi abalienanda erat, eam *nexus tradere* debebat. Huic rei exemplo est *Lex Cincia*, quae mancipationem in donatione verbis dispositiuis requirit (*s*).

Quod ad nec mancipi res attinet, diu illud ius, quod modo exposuimus, retentum fuisse videtur, nisi quod etiam in his duplae stipulatione euictio saepius promissa fuerit; imprimis postquam *editio Aedilium*, sine hoc rerum discriminе, eam cuilibet alienationi rerum pretiosiorum interuenire debere proponeretur (*t*).

Tandem illa duplotenus auctoritatis obligatio, quae nexus contrahebatur, ita rerum alienationi, quae oneroso titulo sit, propriя facta est, ut, etiamsi non interueniret mancipatio, tamen auctor euictionem praestare cogatur (*v*). Et haec est illa pro euictione obliga-

(*p*) in *Lib. II. de re rustica*, cap. 10. n. 5. (edit. Gesner. Lips. 1773.)

(*q*) *VLPIANI fragm. tit. XIX. §. 3.*

(*r*) *I.c. 25. §. 1. de contr. emt.*

(*s*) vid. *BRVMMERVS in Comm. ad h. leg. cap. XIII. p. 191.*

(*t*) *L. 37. §. 1. D. de euict. l. 28. l. 31. §. 20. D. de Aedil. edit.*

(*v*) Patet hoc ex *PAVLI recept. sent. tit. XVII. §. 3.* vbi verba — *mancipatione et traditione* — cum copula et coniuncta,

obligatio, qua et hodie auctores tenentur, quaeque iure nouiori, vna cum illa duplae stipulatione seruata est; licet a Iustiniano discrimen inter res mancipi et nec mancipi, inter dominium Quiritarium et bonitarium sublatum sit per illam sanctionem, quam adhuc in *I. vn. C. de nudo iur. Quirit.* tollendo videmus (w).

§. VI.

*Ius Iustinianum.*a) *in negotiis emtionis lege contractis.*

Iam facili negotio praecipiam inter haec duo negotia differentiam, quae ex diuersis obligationibus oritur, definire poterimus. Quemadmodum enim iure antiquo, in venditione res tradenda, in ceteris vero negotiis mancipio danda erat; ita iure nouo vendor haud cogatur, *emtoris rem propriam facere*, in ceteris autem negotiis res *detur*, seu dominium transferatur oportet.

Vendoris quidem obligationem ita *PAVLVS* (a) describit: *venditori sufficit ob euictionem se obligare, possessionem tradere et purgari dolo malo; ita si res euicta non sit, nihil debet.*

Primum igitur ad *rem tradendam* vendor obstrictus est. *Tradere*, quatenus opponitur *dare*, in iure

iuncta, pro disiunctis accipienda esse, arg. *I. §3. D. de V. S.* bene animaduerit *SCHVLTINGIVS in Iurisprudentia Antejustiniana, ad b. l.*

(w) Ita fere huius iuris originem tradit *FRANC. CALLETIVS in commentario ad Tit. Cod. de euictionibus, ad leg. 3. n. 2.* apud *MEERMANNVM tom. II.* Quaedam etiam de ea adfert *GERH. NOODTIVS in probabil. iur. ciu. lib. II. cap. vlt.*

(a) *I. I. pr. D. de rer. permisit.*

iure nostro, non proprietatem transferre significat (b), sed civilem possessionem, quae causam bonorum continet (c), ita, ut eam nemo iure auocet (d), sed emtor in lite de possessione sit potior (e) atque ita rem sine interpellatione habere (f) fructusque percipere queat. Quamuis enim interdum vendor, si quidem dominus rei fuerit, per hanc traditionem faciat et emtorem dominum, atramen, si non fuerit, nec in obligatione eius est, rem emtori propriam facere (g), sed tunc obligationi suae satis facit, si emtori vacuam possessionem

B. 2

nem

(b) *I. 28. D. de Verb. obl.* „si rem tradi stipulamur, non intelligimur proprietatem eius dari stipulatori, sed tantum tradi.“

(c) *I. 52. §. 1. eod.* „si quis vacuam possessionem tradi promiserit, non nudum factum haec stipulatio continebit, sed causam bonorum.“

(d) *I. 3. pr. D. de aet. emt.* „Ratio possessionis, quae a venditore fieri debeat, talis est, ut si quis eam possessionem iure auocauerit, tradita possessio non intelligatur.“ Confer *I. 35. eod.* quae hic exemplum est.

(e) *I. 11. §. 13. eod.* „Idem Neratius ait, venditorem in re tradenda debere praestare emtori, ut in lite de possessione potior sit. Sed Julianus lib. 15. Digestorum probat, nec videri traditum, si superior in possessione emtor futurus non sit, erit igitur ex emto actio, nisi hoc praestetur.“

(f) *I. 188. D. de Verb. sign.* „Habere duobus modis dicitur: altero iure dominii: altero obtinere sine interpellatione id, quod quis emerit.“ Huius intuitu olim stipulatio habere licere spondes? interposita fuit, *I. 38. de Verb. oblig.*

(g) *I. 11. §. 2. D. de aet. emt. I. 25. §. 1. D. de contrah. emt.* In h. *I. 25. §. 1.* „Qui vendidit, necesse non habet fundum emtoris facere: ut cogitur, qui fundum stipulanti, „spolpon-

nem tradat (b) et efficiat ut rem possit habere (i). Hinc intelligi datur, quo pacto res alienae, vel aliis obligatae valide vendantur (k); defectus enim dominii, vel obliga-

„spospondit. „ latere emblema Triboniani putat RAEVAR-
DVS in Lib. Varior. l. 4. c. 19. et eo WISSENBACHIVS.
Aliter hanc leg. GERH. NOODTIVS in probabil. iur.
lib. II. c. vlt. et FR. CALLETIVS in Comment. ad Tit. C.
de euict. ad l. 3. n. 2. apud MEERM. tom. II. interpretan-
tur. Horum sententiam probatam dedimus in §. praec.
ad lit. m. WAECHTLERVS in not. ad Gerh. Noodtiv
Prob. I. l. e. iniuria NOODTIVM taxat. In lege enim
cit. VLPIANVS vix quaerere potuit, an venditor in em-
torem transferre debeat dominium? nemo hoc inficiatus
est tempore Vlpiani. Tam promissor quam venditor de-
bent transferre dominium; sed eterque non idem; ille
dominium Quiritarium, hic bonitarium. Haec mens
VLPIANI. Haec tenus igitur huic legi derogatum est
per l. vn. C. de nud. iur. Quir. toll. Tribuit igitur TRI-
BONIANVS huic legi alium sensum, in eoque latet em-
blema; proposuit in ea nimirum quaestionem, an ven-
ditor transferre debeat dominium?

(b) l. 2. §. 1. D. de action. emt. „Vacua possessio emtori
„tradita non intelligitur, si alias in ea legatorum fideiue
„commissorum seruandorum causa in possessionem est,
„aut creditores bona possideant. Idem dicendum est, si
„venter in possessione sit; nam et ad hoc pertinet vacui
„appellatio. „

(i) l. 30. §. 1. eod. „Quamuis enim alioquin verum sit,
„venditorem haec tenus teneri, ut rem emtori habere li-
„ceat, non etiam ut eius faciat — .. 1. 8. D. de euic-
tion. Venditoris obligatio igitur magis in faciendo
consistit, vt hoc VLPIANVS in l. 38. pr. D. de Verb.
oblig. tradit.

(k) l. 28. D. de contr. emt. „Rem alienam distrahere quem
„posse, nulla dubitatio est: nam emtio est et venditio:
„sed res emtori auferri potest. „ Acutissimus BERGE-
RVS quidem in deconomia iuris lib. III. tit. I. §. 7. n. hic
distin-

obligatio rei nihil impedit, quin emtor de re pro lubitu disponat (*l*). Valent tamen haec, quae hactenus tradidimus, non de omnibus rebus, sed de iis tantum, quae vſu non consumuntur; fungibles enim emtori dandas esse, vel hinc facile est intellectu, quod eae emtori vſum non praestent, nisi eius sint propriae. Quod forsitan etiam in causa est, quare emtor nummos vendoris facere cogatur (*m*).

Oritur hoc loco quaestio subdifficilis, *num venditor debeat emtorem in conditione vſucapiendi constitueret?* Tantum non omnes interpretes aiunt. Sed ingenue fateor, me semper de veritate huius communis opinionis dubium haesisse, praecipue cum inuenierim, eam nulla lege inniti. Nec profecto dictio, *in bonis esse*, seu *causam bonorum continere* (*n*) hanc conditionem vſucapiendi denotare potest; nam iure Romano antiquo, quo ea nimirum venit, dantur casus, vbi alicui res in bonis esse seu dominio bonitario, poterat, cum tamen eius Quiritarium dominium possessor vſucapiione haud acquireret, si scil. res mancipi peregrino tradita erat. Ac si ius nouum spectes, magis id contrariae sententiae fauet. Declarat venditionem earum rerum, quae nunquam ab emtore, etiamsi fuerit in bona fide, vſucapi possunt, validam, ac venditorem ad

B 3

earun-

distinguit, et quoad perfectionem contractus rem alienam distrahi posse putat, minime quoad consummationem. Sed hanc distinctionem fundamento destitui, ex hactenus dictis in promptu est.

(*l*) arg. I. 34. §. 1. in f. D. *de cuiet.*

(*m*) I. II. §. 2. D. *de aſt. emt.* I. 1. pr. D. *de rer. permute.*

(*n*) I. 52. §. 1. D. *de Verb. oblig.* GODOFREDVS in not.
b. ad h. l. VLPIANI fragm. tit. 19. §. 20.

earundem euictionis praestationem adigit (o). Quum vero secundum mox tradenda is qui euictionem rei praestare debet, aliter obligari nequeat; consequitur, venditorem ante rei euictionem ideo conueniri haud posse, quod res venundata furtiva vel liber homo dicatur, et ita emtor facultate dominium rei emtæ vfucapione acquirendi priuatus sit. Accedit ad hoc, ut ex emtionis lege sciens quis rem alienam emere possit (p). Denique nondum percipio, quo pacto talis finis emtionis cum bona fide emtoris subsistere queat, ita, ut mihi vfucapio pro emtore magis sequela emtionis, quam finis eius esse videatur.

Secunda vendoris obligatio, eaque conditionata, in *obligatione pro euictione* consistit. Si tertius enim rem venditam euicerit, emtori haud amplius eam licet habere (§. I.); indemnis igitur a venditore seruetur oportet (q). Contrario vero simul hinc fluit, venditorem ante hunc casum euictionis emtori, praeter illud *habere licere*, nihil debere, nisi quod ei contra quemlibet denunciatione facta, assistat eumque defendat. Ait hoc V L P I A N V S (r), in verbis: *si* (scil. vendor) *non fuit* (dominus rei), *tantum euictionis nomine venditorem*

(o) v. c. venditionem liberi hominis ignorantis factam, l. 4. l. 70. D. de contr. emt. l. 4. quib. ad libertat. proclaim. l. 20. §. vlt. de liberal. causa. l. 39. §. 3 et 4. de euist. conf. COCCETI l. c. tit. de contrah. emt. q. 5. (exc. 3.) rei furtivae, l. 34. §. 3. de contr. emt. COCCETI c. l. q. 15. Vtriusque vero vfucapio prohibita est in §. 1. et 3. l. de vfucap.

(p) l. 2. §. 1. l. 2. §. 17. D. pro emtore.

(q) l. 66. pr. de contr. emt.

(r) in l. 11. §. 2. de action. emt.

ditorem obligat (puta rei traditio): cui PAVLVS, l.32.
ad edictum (s) adiicit: *itaque si res eiuncta non est, nihil debet; et in receptis sententiis (t): aliter enim non potest obligari.*

Tertio *dolum malum a venditore abesse*, etiam si haec verba contraetui non sint adiecta, praestare illum oportet (v). Hoc adeo verum est, ut non omnia modo, quae contra bonam fidem fiant, in emti actionem veniant (x); sed etiam interdum propter dolum in contrahenda emtione commissum, puta si causam contraetui dederit, emitio nullitate respectiva labore (y). Tam igitur in contrahenda emtione venditione vendor dolo alienus sit (z), quam ea contracta ante consummationem in re custodienda bona fide (aa), ut bonus paterfamilias (bb), versetur. His praemissis, periclitemus in exemplis, quae proprius huc spectant, quaeque non omnia adeo in promptu sunt.

B 4

Sumto

(s) l. 1. pr. de rer. permis.

(t) l. II. t. XVII. §. 1.

(v) l. 68. §. 1. D. de contr. emt.

(x) l. 7. §. 3. de dol. mal. l. 1. §. 1. de act. emt.

(y) l. 7. pr. de dol. mal.

(z) l. 4. pr. l. 6. §. 9. l. 11. §. 15. l. 16. l. 13. pr. l. 21. §. 1.
l. 30. §. 1. l. 39. de act. emt.

(aa) l. 68. pr. de contr. emt. l. 13. §. 16. l. 6. §. 8. l. 8. §. 1.
l. 54. pr. de act. emt. l. 68. §. 2. de contr. emt.

(bb) l. 36. de act. emt. §. 3. l. de emt. l. XI. de peric. et comm.

Sumto itaque hoc, venditorem tempore venditionis sciuisse se rem plane alienam vendere, idque emtorem ignorare; tunc vendor eum dolum, de quo doctores eum contractui causam dare aiunt, committeret; contractus ex parte vendoris nullitate laborabit; emtori vel querela nullitatis vel actione emti ad interesse experiri licebit (cc). Sed ponamus, venditorem rem alteri obligatam vendidisse, hocque eum sciuisse, ignorante emtore; tunc quidem dolus contractui haud causam dedit, ast tamen tamquam incidens, ab illo praestandus est (dd).

Paulo difficilius est intellectu, quid de eo casu dicendum sit, vbi vendor venditionis tempore se rem alienam vel obligatam vendere ignorauerit, sed postea rei qualitatem compertus ignorantis emtori eam sic tradiderit. Pythius v. c. praedium, quod bona fide possidet, quodque ab omni hypotheca liberum putat, venale habet, Titio id vendit, arrha datur et perficitur contractus. Haud multo post Pythius hoc praedium Sempronio obligatum esse comperit. Venit Titius petitque sibi praedium tradi, tradit Pythius reticens id Sempronio esse obligatum. Ego quidem in hac specie eum dolum inuenire non possum, qui cum eo, quem in prioribus casibus admissum esse posui, sit comparandus. Magis igitur puto hic *dolum latere ex re*, vindicandum non actione, sed exceptione (ee). Nemo enim est, cui non sit perspicuum, a venditore in contractu quidem perficiendo propositum laedendi absuisse,

(cc) l. c. 30. §. 1. de act. emt.

(dd) l. c. 6. §. 9. eod.

(ee) Dissentit BVRGVNDVS in tract. de euisionibus cap. 6. venditoremque in *dolo malo ex proposito* versari arbitratur.

fuisse, postea demum cognita laesione, eum ab hoc laedendi animo non plane alienum fieri. Exinde vero, quod hanc rei qualitatem emtorem celauerit, tam grauiter puniendus non est, ut doli actione plectatur; cum reticentia si liberare ab obligatione pro euictione non possit, re vero patefacta se non ad maius obstrin-gat (ff).

§. VII.

b) in negotiis lege innominati contractus initis.

Datio, quae nimurum in hisce negotiis desideratur (a), translationem dominii denotat (b). Quem igitur *rem dare* oporter, is alteri eam propriam faciat, seu dominium tradat necesse est. Infert hinc PAV-LVS (c): non videntur data, quae eo tempore, quo dantur, accipientis non fiunt. Simul autem intellectu

B 5

pro-

(ff) conf. LEYSERVUS Spec. 59. med. 1. et 2. confer etiam l. 36. de Verb. oblig. et l. 2. §. 3. de dol. mal. et met. except.

(a) REINH. BACHOVIVS ad TREVTLERVM, Vol. II. disp. 7. th. 4. lit. C. HVGO DONELLVS in Comment. ad l. 3. C. de euict. n. 3.

(b) l. 75. in fin. D. de Verb. oblig. „Haec stipulatio, fundam *Tusculanum dari*, ostendit se certi esse, continet, que, ut dominium omnimodo efficiatur stipulatoris quo modo. „§. 14. I. de action. „— *dari* cuiquam id intelligitur, quod ita datur, ut eius fiat. „ s. DE COCEII in I. Contr. tit. de rer. perm. q. 2. Cum in verborum obligationibus *datio* plerunque promittebatur; ea, quae in D. de stipulatione occurrunt, *rem sibi dari*, nobis hic argumento sunt, definitur, quae praestare debet is, qui ad *dationem* obstrictus est. Perinde enim est, vnde obligatio dandi sit orta, siue ex promissione expressa, siue ex negotii natura.

(c) in l. 167. pr. de R. I.

proclive est, quare res aliena, vitiosa et liber homo dari nequeant (*d*).

Ita in rerum permutatione (*e*) aequa ac in quolibet alio innominato contractu *res detur* oportet. De permutatione quidem addubitat EDMVNDVS MELLIVS (*f*); at ex rationibus, quae ex antea dictis fatis refutantur. Eum, qui rei debitae loco rem aliam soluerit, rem alterius facere oportere, MARCIANVS (*g*) tradit. Re in genere donata, si species praestatur, dominium eius donator transferre tenetur, POMPONIVS (*b*) enim, *donari*, ait, *non potest*, nisi *quod eius sit*, *cui donatur*; id quod etiam in legato generis obtinet (*i*).

Haec tamen omnia non ita sunt intelligenda, ut promissor rem, si forsitan eam non propriam habeat, a vero domino, duplo vel triplo pretii redimere, ac ita promissario propriam facere cogatur, vti *Glossatores* putarunt (*k*): sed si dominus non est, promissario praestat id, quod eius interest, eum fieri dominum.

Et

(*d*) l. 103. *D. de Verb. oblig.*

(*e*) l. 1. §. 3. *de rer. permut.* l. fin. *de cond. cauf. dat. cauf. n. f.*

(*f*) in l. II. *obseruationum*, c. 13. et l. I. *variantium ex cye-
tacio*, cap. 28.

(*g*) in l. 46. *de solut. conf.* l. 8. *C. de sentent. et interloc.*

(*b*) in l. 9. §. vlt. *D. de donat.*

(*i*) l. 29. §. 3. *de legat. III.*

(*k*) vid. *BVRGVNDVS* in *tr. de eniſſ. cap. 3. n. 4.*

Et hoc quoque est fons, ex quo deduci possit permutantis *obligatio pro euictione*. Quamuis quidem vix dici queat, in his negotiis euictionem praestari, nam praestatio euictionis solum interesse habere licere comprehendit, cum in iis etiam id quod interest rem nostram fieri petamus (*l*): tamen cum re euicta vtrumque interesse coincidat, leges ei, qui pro re sua alienam accepit, ad exemplum ex emto actionis contra auctorem suum experiri permittunt (*m*).

Quae priore *sypho de dolo* in venditione eiusque similibus negotiis diximus, etiam hic transcribenda sunt. Quamuis enim in his negotiis obligatio ciuilis, *ſ. συναλλαγμα*, a datione incipiatur; tamen hoc non efficit, ut intuitu doli haec negotia ab illis discrepent. Datio enim, seu potius rei datae acceptio, non ipsa obligationem parit, sed licentiam poenitendi tantummodo excludit, facitque ut paetum non amplius sit nudum. Quocirca etiam in his negotiis, qui, dum paciscitur, ignorat, se rem alienam vel obligatam promittere, postea autem hoc compertus rem ita ignoranti tradit, non in eodem dolo versatur, ac is, qui tempore pactionis hoc non ignorat. Praeterea, quod quaedam huius generis negotia, utputa innominati contractus praeter permutationem et aestimatorum contractum, stricti iuris sint, nihil de hac nostra opinione immutat, nisi quod haec sint rescindenda, certa vero ipso iure ob *dolum contractui causam dantem* corruant.

§. VIII.

(*l*) *idem c. l. cap. 3. n. 7.*

(*m*) *l. l. C. de rer. permutes.*

§. VIII.

II. De actionibus

ex his diuersis negotiis descendantibus.

Cum haec duo negotiorum genera tam in essentialibus quam naturalibus differant, diuersas quoque actiones pariant necesse est. Quaecunque negotia, quae secundum emtionis legem contrabi patamus, producunt actionem emti, vel eam saltim utilem. Hinc v. c. cui pro pecunia res in solutum data est, competit actio emti (a); nec minus ea maritus experitur, si rem venditionis causa aestimatam in dotem accepit (b). Contra ea ex ceteris negotiis, quae *innominati contra-
etis speciem ferunt*, actio *praescriptis verbis*, qua id quod interest, minime vero res nostra data petitur (c), descendit, modo iis per leges specialis actio haud addita sit. Inde fit, vt v. c. transactione illa actio nascatur (d), quam leges ei quoque tribuant, qui ex diu-
sione bonorum communium rem acceperit (e).

Immo qui sub modo donavit ager praescriptis verbis (f).

§. IX.

(a) l. 24. D. de pignorat. abt. l. 4. C. de euict.

(b) l. 16. D. de iur. dot. l. 1. C. eod. l. 52. §. 1. D. de abt.
emt.

(c) l. 5. §. 1. D. de praescr. verb.

(d) l. 6. l. 33. C. de transact.

(e) l. 7. C. commun. utriusque iud. l. 14. C. famil. ercise.
l. 20. §. 3. D. eod.

(f) l. 9. C. de donat.

§. IX.

III. De repetitione eius quod datum est.

In contractibus innominatis, illi, qui rem suam dederit, rem suam repetere licere, quamdiu alter a sua parte contractum hanc impleuerit (*a*), fugiet neminem. Multo magis ei haec facultas competere deberet, si alter rem quidem tradiderit, sed ea euicta sit (*b*); hoc enim casu etiam moderni mores ei poenitentem permittunt (*c*). Itidem hoc in compositis ex iis negotiis obtinere putarem; sed cum pleraque eorum vel sua natura, si scilicet ab una parte in facto consistant (*d*), vel propter specialem legis dispositionem, uti transactio (*e*), poenitentiam excludant; per pauca sunt, in quibus illa lex innominatorum contractuum seruata est. Huc v. g. pertinet, si MARCIANVS illi, cui res, in solutum pro re data, euicta est, ex veteri obligatione agere permittit (*f*). Eadem ratione eleganter inferit BVRGVNDVS (*g*), in diuisione hereditatis, aliarumque rerum communium, merito eum, de cuius portione maxima

(*a*) l. 3. §. 2. et 3. l. 5. pr. §. 1. D. *de condic. caus. d. c. n. f.*

(*b*) l. f. eod.

(*c*) HERTEL *in diff. de poenitentia in contractibus innom. hodie loc. non inueniente.* §. 67.

(*d*) l. 5. §. 2. ff. *de P. V.*

(*e*) l. 33. C. *de transact.*

(*f*) l. 46. D. *de solut. l. 8. C. de sent. et interlocut.* Et sic inter Iurisconsultos diu agitata controuersia de conciliacione harum legum cum ill. cit. sub lit. h. seq. facillime sopita videtur. CVIAC. lib. 19. obs. 9.

(*g*) c. l. cap. 14. n. 9.

maxima pars euicta sit, conditione causa data causa non secuta experiri.

Plane alia obtinent in negotiis emtionis lege contractis, in iis enim sola actio emit conceditur, qua solum interesse emtor, si iudicialiter ei res ablata est, persequitur (b).

§. X.

IV. De differentia intuitu praestationum ante euictionem.

Iam ad scopum nostrum, ad diiudicandam quaestionem, quae nam auctor, antequam res euicta sit, debeat praestare, paulo instructiores accedimus. Ex iis, quae haec tenus diximus, satis perspicuum erit, etiam huius obligationis intuitu, negotia a se inuicem disrepare debere; cum in principio obligatione discrepent. Sed paulo prolixius ea explananda erit. Quocirca eam in sequentibus capitibus explicare animus est. Sed in hac explicatione ita agamus, ut, missis omnibus iis, quae vi paceti (a), vel consuetudinis loci (b), vel aliunde (c) mutentur, ea sola persequamur, quae tanquam

(b) l. 44. pr. de solut. l. 24. pr. de pignorat. aff.

(a) v. c. in l. vlt. §. 1. D. de rescind. vend. in l. 41. D. de contrah. emt. l. 113. §. vlt. D. de Verb. oblig.

(b) l. 6. D. de euict. Animaduerti, plerosque, si hanc quaestionem explanent, exceptione ex hac lege defumta regulam iuris communis limitare. Simul autem haec legens, vix me a risu temperare possum. Praeterea enim quod exceptio ex hac lege inanis sit, ea nec sub regulam iuris communis comprehenditur. Ius commune explicans consuetudines locorum non curat, quae regulam illam non limitare, bene vero eidem derogari possunt.

(c) ex Nou. 4. c. 3. Auth. Hoc nisi. C. de solut.

quam essentialia vel naturalia omnibus negotiis communia sunt, inque iis adesse praesumantur.

CAPVT II.

DE OBLIGATIONE AVCTORVM INTVITV EVICTIONIS IMMINENTIS IN NEGOTIIS EXTIONIS LEGE CONTRACTIS.

§. XI.

Ex regula auctor in his negotiis ante rei euictionem conueniri nequit, quod aliena vel obligata res dicatur.

Ex supra dictis (§. VI.), quibus satis euictum esse arbitror, venditorem tantummodo efficere debere, ut emtori rem habere licet, puto apparere, quibus fundamentis nitatur illa regula, *ante euictionem venditorem non posse conueniri, neque ad id quod emtoris intereat, rem suam esse factam, aut obligatam non esse, neque ut rem ab hypotheca liberam praestet.* Quamdiu enim emtor rem detinet, ea vtitur fruuntur, de ea pro lubitu disponit: verissime non habet, quod queratur. Sibi ipsi imputet, quin per pacta, quae cuique contractui legem dant, sibi prospexerit. *Vendor,* sunt verba PAVLI (*a*), *si euicta res non sit, nihil debet.* Sin igitur aliena res venundata fuerit, neque actio ad interesse, neque actio quanti minoris, ut res tanto minus aestimetur, quanto minus valeat propter euictionis periculum, emtori dabuntur.

Prior enim, tanquam actio subsidiaria, semper principalem obligationem, eamque non adimpletam supponit; quae vero cum hic deficiat, non potest non haec

(*a*) in l. 1. pr. D. de rer. permvt.

haec actio fundamento destitui (b). Idem dicendum est, de actione quanti minoris; licet enim euictoris periculum tanquam vitium rei spectes, pro quo tamen in legibus nusquam accipitur, tamet id abesse praestare venditor haud cogatur. Haec quidem in promptu sunt, sed paulo difficultior ea quaestio est, num venditor rem ab hypotheca liberare cogatur?

Aiunt multi doctores, et quidem ut animaduerti, ex eo fundamento, quod hypotheca rei onus sit, cuius causa emtori actione quanti minoris experiri licet (c). At haec tenus nullam legem inueni, quae huic opinioni patrocinio sit. Vbiique leges sub onere servitutes, census, canonem, aliasue praestationes reales complectuntur (d), nusquam vero pignus. Inde non perspicio, quo pacto pignus rei onus dici queat, cum possessorem minime grauet, nec usum rei minuat, quod tamen ab onere fieri oporteat.

Praeterea parum refert, num doctores pignus pro onere habeant, necne, sufficit nostram sententiam iuris analogia legibusque inniti. Cui non est perspicuum rescriptum *Imperatorum SEVERI ET ANTONINI?*

Qui

(b) Hoc magis per exceptionem in l. 30. §. 1. ff. *de actione*.
emt. infra explicandam, firmabitur. Postquam **A F R I C A N V S**, propter dolum ad interesse ante agi posse proposuit, quam res euicta sit, adicit: „quoniam enim alio-
„quin verum sit, venditorem haec tenus teneri, ut rem em-
„tori habere liceat, non etiam ut eius faciat — ” Nec
C A R P Z O V I V S p. 2. *conf. 34. def. 32.* a nobis dissentit,
quae enim ibi tradit, cum **alleg. H A R T M. P I S T O R.**
p. 3. *quaest. 5. n. 20.* de venditore in dolo constituto in-
telligit.

(c) l. 41. *D. de act. emt. l. 1. §. 1. l. 39. eod.*

(d) l. c. 41.

Qui rem emit et post possidet, (scil. contractu ab utraque parte consummato) quandiu euicta non est, auctorem suum propterea, quod aliena vel obligata res dicatur, conuenire non potest (e). Non immerito tamen hoc ius, per consuetudinem assiduam subinde introiectum, interdum minus aequitati conuenire praetoribus visum est; nam stricto iure venditori, postquam rei vacuam possessionem tradiderat, actio venditi competit ad pretium petendum, siue res apparuerit aliena, siue minus. Vario itaque modo Praetores, Aediles, prudentesue emtori, nunquam non metuenti, se una pretium cum re esse perditum, imprimis si ipsis, venditorem foro cessurum esse, suboleret, succurrere studuerunt. Hinc stipulatio duplæ, hinc ius retentionis, hinc fatisdationes, hinc obligatio ad rem liberandam. Quae omnia nunc suo ordine explicabo (f).

§. XII.

De duplæ stipulatione.

Primum itaque vendor ex *Aedilitio edicto* (a) obligatus est, *duplæ stipulatione* emtori cauere. Hoc edicti caput GERH. NOODTIVS ita restituere conatus est: *Item in hisce mancipium non esse et babere licere in duplum emtori, si postulabit, cauento* (b). Interponitur

(e) in l. 3. C. de euictione. Neroose pro hac nostra sententia differit VINC. CABOTIVS in *disputatione*. l. II. c. 26. apud MEERMANN. tom. IV.

(f) Suppetit praeterea emtori illud in foro notissimum *prouvocationis remedium* contra quemlibet, qui sibi ius in re emtosis esse contendit.

(a) l. 28. l. 31. §. 20. de *Aedilit. edict.* l. 37. §. 1. de *euict.* l. 5. pr. de *P. O. FRANSKIVS* in *Comment. ad tit. de aedil. edict.* n. 12.

(b) in *Comment. ad tit. de aedil. edict.*

sunt autem haec duplae stipulatio ideo, ut ex ea actio fiat, atque hinc ab VLPIANO (c) inter *stipulationes practorias* et quidem *cautionales* refertur. Consistit haec cautio in sola reprobatione (d), ac, quoniam plerumque difficultis probatio est, quanti cuiusque intersit, aequae ac ceterae practoriae stipulationes certam summam comprehendit (e), quae tamen duplum pretii haud excedat oportet (f).

Per hanc igitur stipulationem venditor cauet, se velle duplum pretii in casu euictionis emtori praestare (g). Interponitur ea tamen non de quavis contemptibili re, de ea enim simplex tantum reprobatur; sed his rebus, quae sunt pretiosiores (h).

Hanc igitur cautionem emtori a venditore, etiam multo post adimpletam emtionem, petere licet, quamvis ea in contractu non fuerit promissa; ea enim, quae sunt

(c) in l. i. §. 2. de *stipulat. praeator.* nonnunquam refertur inter *iudiciales*, l. §. pr. D. de *V. O.* inde quoque *communis audit.*

(d) l. i. §. 8. D. de *stipulat. praeat.* l. 37. pr. l. 56. pr. D. de *euiction.* Repromittere dicitur, qui suo nomine cauet, *satisfare*, qui alieno, l. i. §. 6. D. de *stipul. praeator.*

(e) l. fin. de *stip. praeat.*

(f) l. 44. D. de *aet. emt.* l. vii. C. de *sent.* quae pro eo quod inter. In hoc *duplo* una pretium comprehenditur, *CVIACIVS in tract. VI. ad African.* ad l. 24. de *euict.* Pato tamen ultra quidquam promitti potest, l. 56. pr. de *euict.*

(g) Formulam restituere conati sunt *CVIACIVS loc. cit.* et *GERH. NOODTIVS in Comment. ad tit. de euict.*

(h) l. 37. §. 1. de *euiction.*

funt moris et consuetudinis, in bonaे fidei iudiciis debent venire (i). Hinc VLPIANVS (k), emtori duplam, ait, *promitti a venditore oportet, nisi aliud conuenit*; et PAVLVS (l): *si dupla non promitteretur, et eo nomine agetur, dupli condemnandus est reus.* Quae cum ita sint, venditor obligationi suae ex venditione nondum satisfecit, quamdiu de euictione haud repromisit; emtorique actio integra est (m), qua sibi repromitti perat, immo si pretium nondum soluerit eoque nomine conueinaretur, venditorem exceptione nondum adimpteti contractus repellat (n). Plura quidem adhuc praecipere de duplae stipulatione possem: sed hoc unicum tantum annotare inueniat, saepissime in iure nostro (o) casus inueniri, vbi expressum pactum venditioni adiectum fuerit, ne cautio duplae praefastaretur.

§. XIII.

De euictione imminentia in limine contractus.

Dicitur *euictio in limine contractus imminentia*, si ante quam pretium solutum sit, emtor rei emtæ intuitu reali actione, sive rei vindicatione, sive hypothecaria, aliae conueniantur (a). Suppeditat hanc definitio-

C 27 n

(i) 1. 31. §. 20. *de Aediliti edit.*

(k) 1. 37. pr. *de euist.*

(l) 1. 2. eod. conf. WAECHTLERVS in recitationibus addit. *de euist. b. l.*

(m) 1. 37. §. vlt. eod. 1. 11. §. 8. *de aet. emt.*

(n) arg. l. 16. in f. D. *de cond. cauf. d. c. n. f.*

(o) 1. 11. §. 15. *de aet. emt. l. 72. pr. de contrah. emt.*

(a) 10. VLR. DR. CRAMER *Observat. tom. II. p. I. obf. 438.*

tionem rescriptum *Impp. DIOCL. et MAXIM.* (b):
Si post perfectam venditionem, ante pretium numeratum rei venundatae mota fuerit quaestio, vel mancipia proclament in libertatem, cum in ipso limine contractus imminet euictio, — . Primum itaque requiritur, litem esse motam, seu actionem institutam esse, qua emitori rei ablato metuenda sit (c). Comminatio litis haud sufficit (d), sicuti contrario litis contestatio non desideratur (e). Non immerito tamen hocce interpres ad quaestionem dominii vel pignoris, si ex chirographo de valida constitutione eius non satis apparet, restringunt; sin autem ex eo statim omnia capita liquent, etiam nudam denunciationem efficere defendunt, ut euictio in limine contractus imminet (f). Deinde supponimus, pretium esse nondum solutum, ad hoc enim vnicce respicitur. Existit tamen hic dubitatio, si pretium in aliud debitum sine delegatione novatum sit; cum iure stricto antiqua obligatio, facta nouatione soluta sit (g). Sed cum haec noua obligatio iure praetorio per doli exceptionem, tempore nouationis incognitam, infirmatur, magis puto etiam in hoc casu euictionem in limine contractus imminere (h).

§. XIV.

(b) *I. 24. C. de euictio.*(c) *Cogit inde CARPZOVIVS p. 2. c. 34. defin. 34. euictiōnem haud imminere in limine contractus, si ex iure futuro agatur.*(d) *CARPZ. c. 1. def. 32.*(e) *BVRGVNDVS in tr. de euictiōn. cap. 71. n. 4.*(f) *idem cit. loc. n. 6.*(g) *I. 18. D. de nouation.*(h) *I. 12. D. eod. IMMO HARTM. PISTORIS I. 3. quaest. 6. n. 4. idem de nouatione cum delegatione defendit.*

§. XIV.

*De retentione pretii propter euictionem in limine
contractus imminentem.*

Imminente sic in limine contractus euictione leges emtori *pretium retinere* permitunt, venditoremque illud ante petentem, quam fideiussores ob euictionem constituerit, vel rem ab hypotheca liberauerit, exceptione doli mali summouere (a). Extat de hac re elegans PAPINIANI responsum (b): *Ante pretium solutum dominii quaestione mota, pretium emtor soluere non cogetur, nisi fideiussores idonei a venditore eius euictionis offerantur.* Ita quoque IMP. DIOCLETIAN. et MAXIM. Eutychio rescriperunt (c); cuius rescripti verba sunt haec: *Si post perfectam venditionem, ante pretium numeratum, rei venundatae mota fuerit quaestio, vel mancipia vendita proclament in libertatem, cum in ipso limine contractus immineat euictio, emtorem si satis ei non offeratur, ad totius vel residui pretii solutionem non compelli iuris auctoritate monstratur.*

Hoc ius retinendi pretium iis omnibus requisitis gaudere, quae leges ad tuendam euictionem desiderent, vix puto, quemquam inficias ire (d). Nam quod ad causam huius iuris attinet, ex eadem causa obligandi venit, qua alter rem petit, ita, vt, si emtor venditori pretium traderet, possit hoc contrario iudicio repetere.

C 3

Nec

(a) CAREZOVIVS p. 2. conf. 34. def. 31. D. MEVIVS parte 7. decis. 101.

(b) in l. penult. §. 1. D. de peric. et comm. rei vend.

(c) in l. 24. C. de euict.

(d) conf. PERILL. G. L. BÖHMERI Diff. de iure retentionis §. 10.

Nec minus huic iuri *titulus* haud deficit, descendit enim ex praetorio iure, quod inde quoque emtori præsidium per realem doli mali exceptionem præbuit (e). Etenim quidem negari nequit, venditori stricto iure competere actionem ad premium petendum, nam plane suae obligationi traditione rei, cautione pro euictione et purgatione de dolo satisfecit (§. VI.): attamen contra aequitatem agit, dum petit quod mox rediturus est (f).

Retinet igitur emtor premium, etiam totius rei, licet pro parte tantum rei euictio immineat, ita, ut pluribus rebus uno pretio venundatis, propter unius euictionem imminentem ceterarum premium recte retineri mihi videatur. Hoc enim casu una emtio, atque unum premium adest (g), obligatio ad premium solendum individua est, nec singularum rerum pretia singulis actionibus petere, venditori licet. Non percipio, quo pacto quidam defendere valeant, emtorem tantummodo partem pretii, pro quantitate partis, cuius euictio immineat, retinere posse (h). Quemadmodum enim propter onus rei venundatae inhaerens exceptio nondum

(e) I. 5. C. de euict. I. f. §. 2. D. de dol. mal. except.

(f) Lubens igitur in LEYSERI, spec. 239. sententiam discedo, hanc exceptionem euictionis imminentis differre ab exceptione nondum adimpteti contractus. Hoc enim casu, actori existentia iuris agendi inficiatur; illo vero, supposita hac iuris agendi existentia, actio instituta tantum infringitur, I. 12. de dol. mal. exc. Quod et in causa est, quare hac exceptione nondum adimpteti contractus onus probandi in actorem transferatur; in illa vero reus actoris partibus fungi debeat.

(g) I. 34. pr. D. de Aedil. edict.

(h) SILLEM c. l. §. 25. BVRGVNDVS c. l. c. 71. n. 11. et 12.

nondum adimpteti contractus venditori obmoueri potest; ita quoque haec exceptio; imprimis, cum emtoris interesse ad euictionem usque incertum ac venditori integrum sit, praestitis cautionibus illud petere.

Alia tamen obtinent, si plures res, singulis certo pretio constituto, simul venierint. Propter alterius earundem euictionem imminentem, ceterarum rerum pretia denegare haud fas est: tot enim sunt stipulationes (*i*), tot actiones pro euictione (*k*), quot res sunt traditae (*l*). Nec quicquam mutatur, quamvis unius euictione ceteris praeiudicium afferat; pro euictione enim, non pro redhibitione, satisdatur (*m*).

Hocce pretium emtor tamdiu auctori denegat, quamdiu ei pro euictione imminente nondum fuit satisdatum. Immo si euincentis ius liquidum sit, plane non cogatur, illud soluere; sed potius cum interesse a venditore resarciendo compensetur. Quomodo enim is, de cuius damno constat, periculo cautionis sese subiicere adigatur (*n*)? cum, teste POMPONIO (*o*), plus sit cautionis in re quam in persona.

C 4

Prae-

(*i*) l. 32. pr. de euict.

(*k*) l. 72. eod.

(*l*) ANT. FABER in Codice Sabaudico, lib. 8. tit. 31. def. 10.

(*m*) l. 34. §. 1. de Aedilit. edit.

(*n*) arg. l. 1. in fin. l. 3. pr. D. ut in poss. legat. eat. l. 7. §. fin. D. de damno infecto.

(*o*) in l. 25. de reg. iur. Eandem sententiam defendunt SILLEM c. l. §. 18. FRANSKIVS c. l. n. 735. CARPOZIVIVS p. 2. const. 34. def. 37.

Praestitis demum fideiussoribus, vel re ab hypotheca liberata, emtor nullo modo pretium actori recusare potest, sed id vna cum vsuris soluere debet. De vsuris quidem, sunt, qui addubitent, cum emtor in mora haud fuerit (*p*). Sed magis mihi eorum sententia placet, qui, quamuis emtor in mora haud fuerit, tamen eum vsuras pretii pendere debere aiunt (*q*). Hoc enim casu obligatio soluendi vsuras non ex mora, sed fructuum perceptione fluit (*r*). Quum autem lis mota emtorem hac facultate, percipiendi rei sibi traditae fructus non priuat; consequitur, eum retentionem pretii ab obligatione eiusdem vsuras soluendi non liberare.

§. XV.

De satisfactione pro euictione imminentie praestanda.

Vendor emtori pro euictione satisfare non obligatur. Non optime modo haec regula cum indole venditionis conuenit, sed etiam in plurimis expressis legibus fundatur. Sufficiet VLPIANO huius rei testimonium denunciare, qui ad *Edictum* (*a*) ita loquitur: *Illud quaeritur, an is, qui mancipium vendidit, debat fideiussorem ob euictionem dare? quem vulgo auctorem secundum vocant; et relatum est, non debere, nisi hoc nominatim actum sit.* PAVLVS ad *edictum Aedi-*

(*p*) l. 40. D. de reb. credit.

(*q*) FRANSK. c. l. n. 736. et 737. CARPZ. p. 2. consl. 34. def. 38. SILLEM c. l. §. 19. SAM. DE COCCEII c. l. tit. de aet. emt. quæst. 47.

(*r*) S. DE COCCEII c. l. quæst. 16. luculente hoc ex l. 13. §. 20. D. et s. C. de aet. emt. probauit.

(*a*) l. 4. D. de euictione.

Aedilium curulum, vulgum aliter opinatum esse, refert, sed falsam esse eius opinionem (*b*).

Vnicam solam exceptionem haec regula patitur, in casu, si euictio in limine contractus imminent (*c*). Non quidem in hoc casu leges emtori actionem concedunt, qua petat fideiussores pro euictione, sed ei permittunt pretium retinere, ac venditorem opposita *exceptione doli ad satisandum adigere* (*d*). Hinc si vendor sibi pretium solui velit, prius eum emtori pro euictione, siue e dominio, siue pignoris iure, siue alio iure reali, imminentे satisdare oportet.

Quum itaque leges venditorem haud simpliciter obligent ad satisandum, sed ipse sibi hanc necessitatem imponat: **FRANS KIVS** (*e*) hanc satisdationem pro *voluntaria cautione* habet (*f*).

Hinc effici puto, ut ne locuples quidem, omnibusque sufficientibus bonis instructus ab hac cautione

C 5 libe-

(*b*) l. 56. pr. eod.

(*c*) vid. ll. §. *prae*c.* all.* Ex alio fundamento, quam venditionis indole descendit debitoris obligatio ad cautionem, quam potest, creditori praestandam, qui aliquid ex bonis eius in solutum accipere cogitur, *Auth. hoc nisi C. de solut. Nou. 4. c. 3.* Ceteras exceptiones de regula nostra, quas vulgo interpres proferre solent, nimirum ex l. 4. *C. de precib. Imp. off. et l. 1. in f. C. de bon. matern. solide refutauit HARTM. PISTORIS in Question. iur. l. 3. quæst. 5. n. 17 seqq.*

(*d*) CARPOVIVS p. 2. *confit. 34. def. 31.*

(*e*) c. l. n. 729-733.

(*f*) l. 7. §. 1. *D. qui satisd. cog.*

liberetur. Iura enim nostra, emtorem ad pretium soluendum non aliter teneri, volunt, quam erga idoneos fideiussores pro euictione. Sunt, qui, venditores locupletes ad nudam reprobationem admitti debere, argumentis ex aequitate defumis defendant (g). Sed horum opinio non legibus modo, sed et ipsa iis facta aequitate destituta est. Si nimirum illas intueamur, non meram cautionem, sed satisfactionem h. e. talem cautionem, quae fit fideiussoribus, requirunt (h). Indubia est *Impp. DIOCL. et MAX.* (i) sententia: *emtorem, si satis ei non offeratur, ad pretii solutionem non compelli.* Nec minus *PAPINIANVS* (k): *emtorem non cogi*, ait, *pretium soluere, nisi fideiussores idonei — offerantur.* Contra tam perspicuas leges quidquam moliri, nefas puto. Nec profecto, qui fortunae ludibria non ignorat, quae in dies fere mutantur, mihi opponet, in magna bonorum affluentia, satis adesse securitatis, ac ideo cit. leges cessare, cessante earum ratione. Si denique aequitatem spectes, facile quilibet perspiciet, maiorem aequitatem pro emtore militare, quod beneficio, quod leges ei tanquam medium securitatis tribuant, haud priuetur, et loco eius minore securitate, quae iam aliunde ei praestetur oporteat (l. XII.), contentus esse iubeatur (l).

Quod

(g) *SILLEM* c. l. §. 21. *PETR. HEIGIVS* in *quest. Jur. qu. 36. n. 23.* *MEVIUS* p. 6. *det. 36.*

(h) *conf. FRANSKIUS* in *comm. ad tit. qui satisd. cog. n. 7. seqq.*

(i) in *l. 24. C. de euict.*

(k) in *l. penult. §. 1. de peric. et comm. rei vend.*

(l) *Affentiuntur nobis FRANSKIUS* c. l. 724. *BRVNNEMAN. ad l. 24. C. de euict. n. 5.* *HARTM. PISTORIS* c. l. q. 6. n. 9. *seqq.*

Quod qualitatēm huius cautionis attinet, iure quidem Romano non, nisi datis fideiussoribus, fieri poterat. Praeterea, quod hoc ē citatis legibus luculentēr appareat, possem illud multis argumentis demonstrare, tum quod in foro Romano vix alia cautio, quam fideiussoria admitteretur (*m*), praeципue si pro incerto debito cauendum esset, tum, quod ea semper pignoribus vtilior sit, dum in ea actio ad consequendam solutionem sit expeditior (*n*). Ast cum hodie in foris nostris hae subtilitates Iuris Romani non attendantur, et in *cautionibus praetoriis* etiam *pignoribus* caueatur (*o*), vix operaे erit, diutius in hac re commorari.

Intuitu *quantitatis* huius satisdationis admodum doctores dissentunt. Quae controvērsia ut eo melius intelligatur, hoc tantummodo praeponeamus; hic *non satisdari pro pretio* ab emtore soluendo, seu *quantitatem satisdationis* non ad pretii soluendi *quantitatem* exigi debere; sed hic *pro euictione satisdari* (*p*). Sub *euictione* vero hoc loco id intelligimus, quod emtoris interēst, rem sibi euictam non esse (*q*). In hoc significatu euictio interdum rei pretium ad duplum usque cum egredi possit; perspicuum est, quam incerta sit venditoris obligatio pro euictione (*r*).

Iam

(*m*) *l. i. §. 5. l. 7. de praetor. slipul.*

(*n*) *ANT. FABER in Cod. Sabaud. l. 8. tit. 31. def. II.*

(*o*) *MEVIUS p. 8. dec. 353. FRANSKIVS c. l. n. 727.*

(*p*) ceu patet ex *l. c. pen. §. 1. de peric. et comm.*

(*q*) Sic *IVLIANVS* dicit, *euictionem restituere* in *l. 39. de euict.*

(*r*) *l. 70. D. eod.*

Iam age, videamus, quid doctores de huius satisfactionis quantitate differant. Primum nobis obueruntur, qui eam cautionem non pro eius rei modo euictione, cuius pretium retineatur, sed ceterarum rerum quoque, quae vna sint venditae, quarumque pretia iam soluta sint, praestandam esse, defendunt (s). Sed ab omni iuris analogia hi aberrare mihi videntur, adeo, ut vix refutari mereantur; quo enim paecto fideiussores propter rei euictionem petere possum, cuius pretium ne retinere quidem valeam (vid. §. praec.)?

Magis igitur veritati accedunt, qui pro eius rei, cuius pretium retinetur, euictione imminentे fideiussores dāndos esse, purant. Sed nec hoc loco sibi interpretes constant. Quidam (t) *generalem* pro quaunque euictione satisfactionem desiderant; alii (v) *vero specialem* pro ea sola euictione, quae immineat, sufficere defendunt. Posterior harum sententiarum non solum cum ipsis legibus perspicuis, earundem quoque argumentis optime conuenit. PAPINIANVS (x) non contra quascunque euictiones, quae contingere possunt, fideiussores requirit, sed *eius euictionis* tantum, quae in limine contractus imminet. Cum scilicet propter hanc solam euictionem pretium possit retineri,

(s) vid. BVRGVNDVS, c.l. c.71. n. II.

(t) CARPOZOVIVS p.21 *conf. 34. def. 31. n. 5.* HARTM. FISTORIS c.l. *quaest. 6. n. 5. 6.*

(v) IAC. CVIACIVS in Papiniano ad c.l. penult. de iur. et com. MVDAEVIS in Commentario ad tit. D. de action. emt. cap. quomodo de euictione caendum. n. II. FRANSKIVS c.l. n. 738-740. BVRGVNDVS c.l. n. IO. SILEM c.l. §. 24.

(x) in c.l. penult. §. I. de pericul. et comm.

retineri, par est, ut effectus causae suae respondeat, nec ob aliam euictionem satisdatio petatur, ac ob quam premium retineatur. E contrario propter futuras euictiones, quae in limine contractus non imminent, premium retineri nequit; hinc deficit emtori medium fideiussores petendi, doli nimirum exceptio. Equidem dissentientes pro sua opinione proferunt, ex hac lite oriri contra venditorem praesumptionem, eum non adeo bona egisse, ac proinde emtori metuendum, plures alios fore, qui sibi litem moturi sint. At si hoc esset verum, quod tamen nemo, res magis quam verba cogitare assuetus concedet, emtor non ad fideiussores euictionis ageret, sed potius ad id, quod sua intersit, dolum non esse admissum. Incassum quidam ad SCAEVOLAM prouocant in *I. vlt. §. 1. D. de rescindenda vendit.* Sed cuilibet eam perlegenti, eamque iudicio certo ponderanti, statim animaduertet, eam non de fideiussoribus ex lege praestandis, sed de iis loqui, quos vendorum pacto praestare promiserit: ruto igitur eius ulteriore explanatione possum supersedere (*y*).

§. XVI.

De obligatione venditoris ad rem ab hypotheca liberandam.

Sectione praecedente exposuimus, in quonam casu venditorem fideiussores praestare oporteat.

Iisdem fere principiis, obligatio eius ad *rem ab hypotheca liberandam* innititur. Potest quidem emtor, etiam in hoc casu, si lis mota incerti exitus est, fideiussores eius euictionis petere, imminet enim euictio in limine contractus. Ast si de hypotheca liquido constat, puta v. c. ex chirographo, magis venditorem premium

(*y*) *SILLEM* c. *I. §. 12.* hac in re nobis otium fecit.

tium potentem *doli exceptione* remoueat, et sic indirecte rei liberationem impetrat, ut fideiussores. Immō legislatoribus haec exceptio haud sufficere visa est, sed praeter eam, emtori in eodem casu, si nimisrum ante rei venundatae obligationem compertus est, quam pretium pro ea soluit, *actionem ex emto* dederunt, qua rei liberationem petere possit.

Omnis haec doctrina fundatur in *rescripto Imperatoris ANTONINI*, quo *Petroniae* ita rescripsit (a): *Ex his praediis, quae mercata es, si aliqua a venditore obligata, et necdum tibi tradita* (h. e. si contractus ab utroque contrahente nondum consummatus est,) *funt: ex emto actione consequeris, ut ea a creditore liberentur. Idem etiam fiet, si aduersus venditorem ex vendito actione pretium potentem doli exceptionem opposueris.* Ex natura rescriptorum hocce specialem casum supponit. Petronia praedia emerat, ac perfecto, sed ab utraque contrahentium parte nondum per rei traditionem, pretiique solutionem consummato contractu, rem venundatam obligatam deprehenderat. Quaesitum igitur fuit, quo pacto sibi emtrix propter rei obligationem prospiciat? Permittit illi imperator ANTONIVS venditorem conuenire, non propterea quod ei nondum res sit tradita, sed quod pretium nondum pependerit, sive ei in limine contractus evictio immineat. Ad traditionem enim, num ea facta sit, necne, imperatorem non respexisse, SCAEVOLA l. 7. *Digestorum* (b) testatur; refert ibi, marito dotem venditionis causa estimatam *datam esse*, et postea eum compensisse praedium esse obligatum. Competere, ait Iureconsultus, marito ex emto actionem aduersus he-
redem

(a) in l. 5. C. de emicē.

(b) in l. 52. §. 1. de action. emt.

redem soceri, ut praedium a creditore lueret, et marito liberum praefstaret. Ecce ipsa SCAEVOLAE verba: *Praedium aestimatum, in dotem a patre filiae suae nomine datum, obligatum creditori deprehenditur: Quaeſitum est, an filius, qui haereditatem patris retinet, cum ab ea se filia abſtinuſſet, dote contenta, actione ex emto teneatur, ut a creditore lueret, et marito liberum praefstaret? Respondit teneri.*

Age scrutemur, quanam decidendi ratione Iure-consultus vius sit. Certum est, eum hoc negotium tanquam emtionem intuitum esse, cum maritus praedii in dotem dati dominus factus soluto matrimonio pro eo pretium soluat. Apparet hoc inde, quod heredem ex emto actione teneri putat. Etiam verum est, SCAEVOLAM hon ad rei factam traditionem respexisse, alias enim emtori ex emto actionem afferere nequissit; multo ante enim erat traditio facta. Nullam igitur aliam rationem habere potuit, quam eam, quod pretium nondum solutum fuit, rationem, quam optimo cum ceteris venditionis legibus conuenire probauimus. Sed obiiciat mihi quisquam, dum imperator Petroniae in altero casu, quo pretium nondum solutum sit, actionem concesserit, in altero, si pretium iam solutum sit, eam exclusisse. Omnino in altero casu actionem exclusit; corrigit enim hoc rescriptum ANTONINI pro parte, illud *Impp. SEVERI et ANTONINI* (§. XI.) quo emtori ante euictionem actionem denegant, qua rei liberationem petere queat. Sed legem correctoriam extra limites non extendendam esse, omnibus notum est.

Non potest itaque non eorum theoria male cohaerere, qui tradunt hanc obligationem ad rem liberandam a traditione nondum facta pendere (*c.*), ita, ut emtor,

(c) BVRGVNDVS c. I. cap. 47. n. 2. SILLEM §. 14. c. I.
et plures alii, more consueto ab iis allegati.

emtor, quamuis pretium iam soluerit, contra venditorem, qui mercem nondum tradiderit, possit experi-ri. Pugnat haec opinio cum theoria modo a nobis ex luculentissimis legibus euicta. Pugnat cum omnibus regulis interpretandi principum rescripta. Pugnat cum illo SCAEVOLAE loco, qui maritum praedium iam te-nere refert, et tamen rei liberationem petere, ei integrum esse ait. Et verissime validiora argumenta, quam ea sunt, si opinio quaedam cum iuris analogia et maxime perspicuis legibus pugnat, nemo poterit inuenire. Quod plures sint, qui hanc opinionem de-fendant, eius falsitati patrocinio esse nequit. Iuridi-cae enim veritatis nemo doctorum auctor esse potest, sed ipsae leges eius intuitu auctoritatis obnoxiae manent.

Sunt denique (*d*), qui, etiam multo post emtio-nem consummatam venditorem de re liberanda ab hy-potheca teneri velint. Et hi in SCAEVOLAE citato loco praefidum quaerunt. Sed tantum abest, ut iis SCAEVOLA patrocinio sit, ut nostrae potius opinionis non leuis auctor sit.

§. XVII.

De actione ex emto propter dolum a venditore commissum.

Ostendimus supra (§. VI.) *dolum a venditore abef-se oportere*, propterque cum emtori datam esse actio-nem, qua id, quod sua intersit dolum non esse admis-sum, petere queat. Magis proficia est haec actio, quam illa, quae de euictione datur. Praeterea enim, quod haec per suam naturam ante non competit, quam emtori quid absit, illa vero emtor etiam ante queat experiri

(d) *Aligins. c. l. n. §4.*

experiri (*a*); cum nimirum dolus, quamvis nouam ad euictionem praestandam obligationem non pariat (*b*), tamen efficiat, ut venditor citius possit euictionis nomine conueniri: Etiam hac in re illa huic praefstat, quod in illa interesse emtoris duplum rei pretii excedere possit (*c*), in hac vero ei ultra duplam pretii a venditore nihil praefstetur (§. XII.). Omnis huius actionis natura perspicua est ex AFRICANI verbis (*d*), quae adscribere iuuat: *Si sciens alienam rem ignorantis mibi vendideris: etiam prius quam euincatur, utiliter me ex emto acturum putauit in id, quanti mea interst, meam esse factam.* Quamvis enim alioquin verum sit, venditorem haec tenus teneri, ut rem emtori habere liceat, non etiam, ut eius faciat, quia tamen dolum malum abesse praestare debeat, teneri eum, qui sciens alienam, non suam ignorantis vendidit. Idem est maxime, si manu-missuro, vel pignori daturo vendiderit. Verba huius legis posteriora, cetera enim ex supra dictis satis perspicua sunt, exempla nobis suppeditant, in quibus emtoris permultum interest, sibi a venditore non esse impositum, quod nempe in iis emtorem dominum rei esse oporteat. Seruus enim alienus manumitti non potest, nec res aliena oppignerari.

Excussum supra (§. VI.) varios dolii casus, qui accidere possunt in venditione. Facili negotio perspi-

(*a*) l. 4. pr. de act. emt.

(*b*) Maxime enim differt, *dolum praestari*, et *euictionem praestari*; iis enim in casibus, ubi euictio non praestatur, dolum malum tamen abesse praestari debet, v. c. in l. 6. §. 9. de act. emt. et in l. 1. C. de iur. dor.

(*c*) l. 13. pr. D. de act. emt.

(*d*) l. 30. §. 1. eod.

D

cies, non in omnibus iis casibus hanc dolii actionem obtinere, sed in iis tantum, si dolus malus in perficiendo, ut aiunt leges, contractu admissus sit. Si enim nobis concedas, quodque concedendum, ut arbitramur, probauimus, verum esse, quod venditor, si contracta emtione venditione ante eius consummationem rei qualitatis certior factus, ignorantis emtori rem sic tradiderit, in *dolo ex re* verletur; nec inficias ire potes, nullum esse huic dolii actioni aduersus venditorem locum. Facit huc, quod ipsas leges agnoscere, perspeximus, venditorem pretium perentem dolii exceptione repelli, si immineat euictio.

§. XVIII.

De conclusione huins capitii et cautelis.

Haec sunt exceptiones a regula illa, venditorem ante rei euictionem conueniri non posse, quod res aliena vel obligata dicatur. Sunt vero solae, et magnus mihi erit Apollo, qui praeter eas aliam validis argumentis proferre poterit. Cautus hinc emtor sibi non duplum pretii modo et amplius pro euictione stipulabit, ut difficultate onere probandi id quod interest leueretur; sed etiam, ut intuitu euictionis praestationis securus reddatur, pro ea sibi hypotheca omnium venditoris bonorum caueri, immo etiam in casum, si res forsitan obligata deprehenderetur, venditorem eam ab hypotheca liberare velle, sibi promitti, curabit (a).

(a) Easdem cautelas suasit BERGERVS in *oeconomia iuris*, l. III. t. VIII. §. V. n. I.

CAPVT III.

DE OBLIGATIONE AVCTORVM INTVITV EVICTIONIS IMMINENTIS IN NEGOTIIS INCONMINATI CONTRACTVS LEGE CONTRACTIS.

§. XIX.

Si auctor rem alienam vel obligatam tradidit, accipienti ad interesse tenetur.

Omnia haec negotia *dationem* requirunt, nec auctor obligationi suae satisfecit, nisi rem dederit, id est, accipienti propriam fecerit (§. VII.). Ex hoc unico principio, satis, ut arbitramur, a nobis probato, cetera omnia necessario consequuntur. Merito cum BACHOVIO (a) hinc inferimus, in hisce negotiis, *accipientem non necesse habere, casum evictionis expectare*, sed quam primum compertus sit, rem alienam vel obligatam sibi traditam esse, conuenire auctorem posse, non propterea, quod rem sibi habere haud licet, sed quod debitum nondum sibi soluerit. Et hoc est in causa, quare leges in hisce negotiis, alteri contrahenti, cui aliena res vel obligata tradita sit, post traditionem, adhuc integrum esse aiant, antiqua actione rei dationem petere. Vbi enim obligatio nondum est soluta, ibi adhuc actio competit, nec alter ab obligatione censetur liberatus. Optime hanc rem nobis VLPIANVS (b) testatur, qui *ad editum ita loquitur: Etiam circa stipulationem et extestamento actionem, si res tradita fuerit, quae debebatur, quandiu aliquid iuri rei deest, adhuc tamen ipsa res petenda*

D 2

effe

(a) ad Treutlerum Vol. II. disp. 7. th. 4. lit. C.

(b) in l. 27. D. de solutionibus.

est: ut puta, possum fundum petere, licet mibi traditus sit, si ius quoddam cautionis supererit. Idem censet POMPONIVS lib. XXII. ad Sabinum (c), si obligata res tradita est: *Si rem meam, ait, quae pignoris nomine alii esset obligata, debitam tibi soluero, non liberabor: quia auocari tibi res possit ab eo, qui pignori accepisset.* Et CELSVS (d): *si hominem, ait, in quo ususfructus alienus est, vel qui erat pignori Titio obligatus, noxae dedisti: poterit is, cui condemnatus es, tecum agere iudicati, nec exspectabimus, ut creditor euincat.* Sed si ususfructus interierit, vel dissoluta fuerit pignoris obligatio: *existimo processuram liberationem.* Tandem MARCELLI, iureconsulti Proculianorum suo tempore acerrimi, verba (e) adiicere iuvat: §. 5. *Qui hominem debebat, Stichum, cui libertas ex causa fideicommissi praestanda est, soluit: non vindetur liberatus: nam vel minus hic seruum dedit, quam ille, qui seruum nondum noxa solutum.* Num ergo et si Vipellionem, aut alias turpem dederit hominem, idem sit? Et sine datum negare non possumus. Sed differt haec species a prioribus: *babet enim seruum, qui ei auferri non possit.* §. 6. *Promissor seruum debet hominem soluere, quem si velit stipulator, possit ad libertatem perducere.*

Supponimus tamen hic, quod per se intelligitur, certum esse et liquido constare, rem esse alienam vel alteri obligatam, quod mox ex re iudicata demum, mox aliunde, v. c. ex chirographo, quod de rei obligatione conflictum est, constare potest.

Efficitur

(c) in l. 20. eod.

(d) in l. 69. eod.

(e) in l. 72. §. 5. et 6. eod.

Efficitur ex his, vt is, qui rem alienam pro tali acceperit, quae dantis propria fuerit, aduersus dannum vel *actione praescriptis verbis*, qua id quod sua interest, rem alienam sibi non datam esse, persequatur (*f*), vel *condicione causa data causa non secuta*, quod in quibusdam negotiis fieri potest (§. IX.), experiri valeat. Nec minus denique rem datam ab hypotheca liberari ab auctore ei petere licebit.

Apparebit igitur ex his, quam maxime haec in nominati contractus lege contracta negotia ab illis venditionis lege contractis discrepant, et quam necessarium sit, ea accurate secerni.

Praeter has actiones, quas perspeximus ei competere, qui alienam vel obligatam rem accepit, ei quoque cetera remedia competunt, quibus leges emtori, rem alienam vel obligatam sibi traditam esse animaduertenti, prospexere. De quibus, quamquam intellectu procluia sunt, tamen hinc inde pauca monenda videntur.

D 3

§. XX.

(*f*) Citatae quidem leges ita rem exponunt, quasi is, cui aliena res data est, veterem actionem sic instituere necesse habeat, vt sibi res plane tradita non sit, eaque rem ita petere, vt sibi eam auctor omnimodo propriam faciat. Atque ita has leges Glossatores intellexerunt. Minime vero eas sic interpretandas, sed de interesse, rem alienam non datam esse praestando, intelligendas esse argumento est *l. 13. D. Locati*; ubi Ictus AFRICANVS pari modo de actione ex conducto locutus, verba in hanc rem temperat.

§. XX.

De duplae stipulatione.

Quo pacto duplae stipulatione emtori caueatur, vidimus supra: competebat emtori actio ex emto, ut sibi re promitteretur. Talem actionem etiam in hisce negotiis contrahenti leges exposuerunt, quae tamen pro eorum natura mox actio praescriptis verbis (a), mox alia est (§. VIII.). Eleganter haec probant VLPIANI verba, quae ex l. 27. de solut. spho praec. ad scripsimus. Idem nos SCAEVOLA (b) docet, qui in lib. 13. quaestionum ita scribit: *Qui fundum sibi aut Titio dari stipulatur, quamvis fundus Titio traditus sit, nihilominus petere fundum potest, ut sibi de euictione promittatur.* Immo CELSVS (c) rem datam repeti condicione causa data causa non secuta posse iudicat, si alter pro euictione cauere nolit; *Si tuus est Strubus, sunt verba eius, et pro euictione eius promittere non vis, non liberaberis quo minus a te pecuniam petere possim.* Quae verba simul sunt argumento, alteri, quamdiu mihi pro euictione non re promiserit, exceptionem nondum adimpteti contractus obstarre.

§. XXI.

De retentione pretii et satisfactione.

Quae supra (§. XIV. XV.) de iure retinendi premium propter euictionem in limine contractus imminenzem, et satisfactione pro hac euictione exposuimus, simpli-

(a) conf. MVBAEVS in Commentario ad tit. D. de actioni emt. Cap. VI. de eniſtione cancellatur.

(b) in l. 131. de V. O.

(c) in l. vii. D. de cond. caus. dat. caus. n. fes.

Simpliciter hoc erunt extendenda. Quamuis enim in his negotiis contrahens, cui rem alienam vel obligatam datam esse, si certum sit, statim possit ad interesse, se factum esse dominum, agere; tamen haec obtinere nequeunt, si adhuc incertum est, num alter obligationi suae satisfecerit, necne. Quocirca ei, in hoc praetorio remedio retentionis rei, auxilium querendum est.

§. XXII.

De dolo.

Quod ad dolum attinet in hisce negotiis admis-
sum, idem de eo monendum puto, quod de ceteris
dictum est, eius nimurum intuitu haec negotia ab illis
venditionis lege contractis non discrepare. Supra
(§. VII.), ut arbitror, probatum dedi, idem dolum ef-
ficere in hisce negotiis, ac in venditione: non potest
igitur non hoc loco iis in casibus actionem parere, in
quibus ibi ex eo actionem oriri
perspeximus.





APPENDIX.

Dum haec scribebamus, veriti sumus, ne sint multi, qui nos inutilis et male consumitae operae in tradendis iis, quae parum habeant aut nihil utilitatis in foris nostris, arguerent; imprimis si, non pauca nos de domino Romanorum Quiritario et bonitario, de rebus mancipi et nec mancipi, et de duplae stipulatione locutos esse viderint. Perfacile quidem iis hoc condonare potuissimus, praecipue cum hi sint tales, qui, quicquid de iure Romano tenent, felicitati memoriae debeant, nullius rei rationes reddere possint, nihil credant, quod non doctorum opinionibus stipare praeiudiciis possint: tamen, cum opusculi ordo simul sic ferat, pauca tantum de usu eorum, quae paragaphis XI. et XII. differuimus de auctorum obligatione ante rei euictionem in negotiis emtionis lege contractis, et de duplae stipulatione, cum hae sint, quarum usus in foro a plerisque in dubium vocetur, adiicere voluimus.

ad §. XI.

Quod igitur primum attinet *Legem 3. C. de euictionibus*, in qua praecipue huius sphei doctrina innititur; ea a quibusdam, imprimis autem a FRANC. CALLETIO in *Comment. ad Tit. de euict. ad b. leg. n. 6. 7. 8.* quoad obseruantiam in Germania in dubium vocatur.

Profert multa argumenta, quibus hanc legem non attendendam esse in foro defendit. Inter ea non leue

leue argumentum est aequitas; cum scilicet venditor animaduerterit, venundatam rem alienam vel obligatam esse, putat esse contra aequitatem naturalem, si emtori interesse non praestet eum fieri dominum, vt rem ab hypotheca non liberet. Cuicunque apparebit, quales sint hi, qui hocce defendant, ii nimirum, qui propter aequitatem maxime perspicuas leges euertere non erubescant. Sed quis vñquam doctoribus hoc ius tribuit? Eorum est, interpretari leges, easque casibus obuiis ita applicare, vñ verba ratioquę earum ferant; non diuidicare eas, corrigere, perrumpere. Vacillarent leges, si cuilibet nasutulo iureconsulto de legum fanticis ob aequitatem recedere liceret. Idcirco et ipsi aduersarii propositionem suam limitant, fieri hoc debere dicunt, propter magnam et euidentem aequitatem. Sed quae est norma, ad quam magnitudinem huius aequitatis exigere possimus? Nonne ita ius nostrum maxime incertum redderetur? Sed obiiciunt, nos verba legum pressius sequendo, contra ipsius legislatoris intentionem saepe iniquitatem admissuros esse. Minime; sensum enim legum e verbis et ratione earum elicium nos sequentes contra legislatoris intentionem agere non possumus. Parum acute hi fines regere, quae sint legislatoris, quaeque iudicis partes, mihi videntur. Illius est, nihil sancire, quod vñquam possit in iniquitatem incurre. Cui non sunt perspicua verba *Imp. CONSTANTINI* in *l. 1. C. de legibus?* inter aequitatem iusque interpositam interpretationem nobis solis et oportet et licet inspicere. Iudicis contra est, secundum leges decidere, et ne latum quidem vñguem ab iis recedere. Et vbi paulo durior sibi lex quaedam videtur, meminerit verborum *ULPIANI*: quod quidem perquam durum est, sed ita lex scripta est. Quocirca ab hac perspicua lege recedere non assum. Praeterea in hoc casu iniquum non puto, quae cir. l. 3. sancit, conueniunt ea, vt supra demonstra-

D 5 tum

rum est, cum indeole venditionis. Deinde hancce legem etiam propterea cessare purat, quod emtor propter cap. vlt. X. de praescript. quam primum compertus sit, rem emtam esse alienam vel obligatam, in mala fide constitutus, vsucapere rem nequeat. At supra, (§. VI.) iam probauimus, venditorem non necesse habere, vt emtorem in conditione vsucapiendi constituat; corruit igitur etiam hoc argumentum. Sumit denique exinde argumentum, quod veteres doctores ita sint arbitrati. Sed de hoc argumento quidquam differere non ausim, vt ne de veritate illa, errori multitudinem errantium patrocinio non esse, dubitasse viderer.

ad §. XII.

Idem accedit *duplæ stipulationi*; *cam in usu non esse*, tantum non omnes doctores tradunt. Sunt inter eos GROENWEGEN ad l. 31. §. 20. de aedilit. edit. SIM. V. LOEWEN in cens. for. theor. l. 4. c. 19. n. n. BVRGVNDVS, cap. 87. l. c. FRANC. CALLETIVS in Comm. ad tit. C. de euict. in praef. n. 8. CARPOZOIVS, p. 2. conf. 34. defin. 30. n. 2. Dubii haerent HYPERVS in praelect. ad Dig. tit. de euict. n. 2. et BRVNNEMANNVS in Comment. ad l. 37. §. 1. D. de euict. Pauci tantum cordatores Iureconsulti, BERGERVS in oeconom. iur. lib. III. t. VIII. §. 5. n. 2. et SCHILTERVS in praxi iur. Rom. ex. 34. §. 20. usum eius modernum defenderunt. Et recte hi quidem. Ratio enim, cur ea non admodum frequentetur, non in collisione iuris Romani et Germanici, quae eam plane cessare efficeret, sed magis in causidicorum insidia latet, qui insciit tale pingue remedium sibi in iure extare, eo non vnuatur. Quis vero vnuquam iuris Romani usum in foris nostris ad eorum scientiam exigere ausus est? Iuuat acutissimi BERGERI verba super has re apponere: „Stipulationem necessariam fieri

in

, in venditione rerum pretiosarum, v. c. margaritarum,
, in duplum, l. 37. §. 1. de euict. iun. l. 2. eod. hodie
, haec ſtipulatio eft voluntaria, atque utilis, ad vitan-
, dam difficultem eius, quod intereft, probationem.
, ita quidem DD. vulgo, at ſatius eft, responderi ſecun-
, dum legem, uipote quae optima ratione uifinetur,
, quod in emtione rerum pretiosarum maximum, ma-
ximeque damnosum eft periculum euictionis. enimue-
ro Brunnemannus ad cit. leges ſcribit, hodie rarum,
vel nullum huius cautionis duplae eſſe vſum, citato
Groenewegenio, cui tamen ipfem, in eodem argu-
mento de Legum Romanarum vſu, fapenumero graui-
ter contradicit. Sed et experientia, ad quam idem
ille prouocat, ita eft affecta, vt, quamuis ea lege non
utamur, nihil tamen impedit, quo minus eadem vti
poſſimus. Caueat igitur emtor rerum pretiosarum,
ne paſto, contraſtu, vel in continenti, vel ex inter-
uallo adieſto, venditori remittat neceſſitatem promit-
tendi euictionis nomine dupli, quuin, extra caſum
eiusmodi paſti initi, a venditore cautionem dupli pe-
tere poſſit, atque hic, de duplo repromittere nolens,
dupli condemnetur, dd. ll. „ Nefcio, quid BVR-
GVNDO animo inhaereat, quod hanc duplae ſtipula-
tionem, tanquam poenam conuentionalem, ob cap.
ſuam. X. de poenis. hodie prohibitam eſſe putet. Nihil
tale in hoc cap. inueni.

Alius quoque vſus huius duplae ſtipulationis an-
notandus eft. Cum nempe venditor, in caſu vbi eum
ſatisfare oportet, etiam pignoribus cauere poeſt, vt
ſupra dictum puto, talis vero pignoratitia cautio cer-
tam ſummam requirit: poterit iudex incertam illam
pro euictione imminente obligationem ita certam red-
dere, ſi venditorem pro duplo pretii pigno-
ribus cauere iuferit.

१८ अप्रैल १९४६ BZ विनायक

CORRIGENDA.

pag. 20. lin. 5. inter verba, *et eo* inseratur vocula *ex.*

p. 25. l. 5. pro *si* leg. *se.*

p. 43. l. 12. inter *operae* erit inseras *quaeso* *pretium.*

p. 44. l. 18. ante *earundam* pene *sed*

p. 45. l. 17. pro *civilibet eam perlegenti* — *ponde-*
ranti *lege*, *quilibet eam perlegens* — —
ponderans

p. 52. l. vlt. *lege conjectum*, pro *confictum*

p. 57. l. 4. pro *vt lege vel.*



Kd 2529

S

vol 18

7DA

ME



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



COMMENTATIO
IVRIS CIVILIS
DE
OBLIGATIONE
AVCTORVM
INTVITV
EVICTIONIS IMMINENTIS.
AVCTORE
IOANNE CHRISTIANO MANN
ADVOC. REGIM. DESSAV.



HALAE MAGDEBURGICAE,
IMPENSIS ORPHANOTROPHEL MDCCCLXXVI.